

pro subditorum salute distrahitur ad illud precipue aciem (f. 453) convertimus et sedule destinamus affectum, qualiter venerandas<sup>1</sup> ecclesias et personas ecclesiasticas celesti imperatori mancipatas obsequiis piis<sup>2</sup> protegamus desideriis ac libertates eorum continuis<sup>3</sup> benignitatis favoribus foveamus, nunc novas libertates et gratias largiendo, nunc pro qualitate temporum veteres renovando<sup>4</sup>. Sane accedens in nostre maiestatis conspectum venerabilis et religiosus Conradus abbas monasterii in Lutzella [nobis petitionem exhibuit quatenus iam dictum abbatem et conventum] cum eorum hominibus personis iuribus bonis et universis possessionibus in nostram et imperii sacri protectionem tuitionem salvamguardiam et tutelam specialem suscipere ipsisque omnia et singula iura gratias libertates concessionem et immunitates donationes indulta litteras et privilegia, que [et quas] a divis Romanorum imperatoribus et regibus nostris in imperio predecessoribus et signanter quandam litteram sive privilegium [quam] a felicis recordationis Karolo quarto Romanorum imperatore et Bohemie rege domino et genitore nostro karissimo obtinuisse noscuntur, approbare ratificare innovare de novo concedere et confirmare gratiosius dignemur. Cuius littere sive privilegii tenor de verbo ad verbum sequitur et est talis:

In nomine sancte et individue trinitatis feliciter amen. Karolus quartus etc.

Folgt Huber, n. 4820, von 1370 Februar 18 für die Abtei Lützel (f. 454).

Nos igitur dicti domini et genitoris nostri ac aliorum nostrorum in imperio predecessorum laudabilia semper cupientes imitari vestigia, ad instantem etiam supplicationem dicti abbatis, que ex fonte videtur procedere rationis, presertim [cum iusta petentibus non est denegandus assensus] abbatem conventum ipsorum[que] successores cum universis ipsorum hominibus familiaribus personis iuribus possessionibus et aliis bonis et rebus prefati monasterii in Lutzella eiusdem Basiliensis diocesis cum dependentiis annexis et connexis singulis sub nostre<sup>5</sup> et imperii sacri specialis defensionis et protectionis umbram ac tuitionis et salvewardie clipeum gratiosius suscepimus et suscipimus per presentes, prescriptam etiam litteram cum omnibus suis tenoribus clausulis punctis etc. sententiis, prout iacet ad litteram, et signanter loca et bona infrascripta, que in presentiarum ut asseritur iuste et canonice possident, videlicet ipsum locum Lutzella cum piscationibus etc. cum omnibus earum dependentiis iuribus et emolumentis necnon omnia et singula iura gratias concessionem indulta litteras et

---

1) cod.: 'reverendas'.    2) 'pie'?    3) cod.: 'continuo'.    4) 'innovando'?    5) cod.: 'nostris'.